eorumdemue operationes coquuntur. Si, porro, aquoſos illa humores apprehendit cum pura, ſubtili, terrenaque aliqua ſubſtantia, tunc Philoſophorum argentum viuum operatur: Sin vero ad igneam terrenamque duritiem redigatur, tunc Philoſophorum ſulphur operatur. Et, profecto, præmiſſus modo ſermo iſte nobis, quærendi inueniendiq; argenti viui, vel artis noſtræ originis, viam promonſtrat: & quamuis argentum illud viuum in æris fodinis, copioſe reperiatur, nihilominus tamen à perpaucis hominibus cognoſcitur: Non eſt argentum, vel aurum, aut vulgare argentum viuum, nec nullum metallorum reliquorum vel ſulphuris, aut atramentum ſutorium &c. Sed Philoſophus ait: Vaporoſa eſt ſubſtantia ex quatuor elementis, aquoſa, atque pura: Et licet apud omnia metalla reperiatur, nihilominus tamen apud imperfecta immaturum eſt. Iccirco certiſſime in illo ære, vbi aurum & argentum inuenire licet, quærendum eſt. Cumque porro dicat: Si hoc argentum viuum ad duritiem ſuam redigatur, tunc eſſe illud Philoſophorum ſulphur, idque haud aliter, quam per aurum & argentum, fieri poteſt, quæ apprehendit, &, ſimul ſublimatur, atque coagulatur, idque per naturalem ſuam coctionem aſſiduam, à Solis æſtu, & in propria ſua Minera.

O Pater Cœleſtis, monſtra hoc argentum viuum
omnibus iis dumtaxat, quos jubes viam
tuam ingredi.

FINIS.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG